

Dic testimonium de resurrectione Christi.

Psalm. 16: „Non derelinques animam meam in inferno. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.“¹²⁸ Matth. 12: „Sicut Ionas fuit triduum in ventre ceti, ita oportet filium hominis tribus diebus ac tribus noctibus esse in corde terrae.“¹²⁹ Historia resurrectionis describitur ab euangelistis.¹³⁰ De fructu 5 inquit [72:] Paulus Rom. 4: „Resuscitatus est propter iustitiam nostram.“¹³¹ Et 1. Cor. 15: „Si Christus resurrexit etiam nos resurgemus.“¹³² Rom. 6: „Resurrexit, vt et nos in nouitate vitae ambulemus.“¹³³

Quare dicimus in symbolo: „Resurrexit
tertia die“?

10

Quia die parasceues deponitur a cruce et sepelitur paucis horis ante sabbati initium. Iudaei enim diem a vespera inchoant. Toto autem sabbato quiescit in sepulchro et die prima sabbatorum, quae nobis est dies dominica, circa auro-ram resurgit ex mortuis.

¹²⁸ Ps 16,10.

¹²⁹ Mt 12,40.

¹³⁰ Vgl. Mt 28,1–15; Mk 16,1–8; Lk 24,1–49; Joh 20+21.

¹³¹ Röm 4,25.

¹³² Vgl. I Kor 15,16.

¹³³ Röm 6,4.